



LECTORIBVS.

QVae me causa impulit vt Chrestoma-
thian primo Ciceronianam ederem,
alteramque deinde Plinianam, eadem
fecit, vt tertiae etiam Graecae concinnandae,
quantulumcunque id est opellae nostrae, im-
pendere non dubitauerim. Cum enim nihil
periculi videatur, ne eclogaria illa industria,
quae Liuium nobis, Trogumque & Ictorum
libros, & ex Graecis Dionem praesertim,
Polybiumque vel mutilasse dicitur, vel maiore
sui parte interceptisse, vt nunc res sunt, detri-
menti aliquid capiant Cicero, Plinius, vel,
quorum hic damus eclogas, Graeci; optabile
autem sit, iuuenes (qui sero nimis nosse ma-
ximos

**

ximos aevi sui homines, quin semper ignorasse magna ex parte, ab aliquo inde tempore videntur) vel ex unguibus cognoscere leones, & suauitate *laudabilium*, quos veteres dicere solebant, locorum inuitatos cupiditate quadam incitari, in ipsos euagandi hortos, vnde flores eiusmodi legi posse animaduertarint: nemo credo reprehendendum putabit quaecumque studium nostrum iuuentuti, cui aetatem dicauius nostram, etiam hac in re pro virili parte inferuendi. Neque illud, puto, dicet quisquam, non eos a nobis locos esse dilectos, qui iuuenum ingeniis & rationibus sint accommodati. Superest, vt quam facile ipsum se institutum nostrum tuebitur, tam feliciter etiam rationem illius prosequendi idoneis iudicibus probare possimus. - - - Et probauimus, quod vel inde apparet, quod post alterum annum denuo est hic libellus edendus, & nunc editur tertium. Bonum illud omen interpretamur Graecis literis, & tanto lubentius horas aliquot emendationi tribuimus. Qua in re multum nos subleuauit accurata diligentia, & humanitas IO. HEINR. KROMAYERI Excellentissimi harum literarum, & omnis adeo humanitatis in Ienenfi Academia Doctoris publici, qui cum interpretandum hoc opusculum nobilissimorum iuuenum coronae suscepisset, cum optimis
loca

loca fere singula editionibus contulit, suarum-
que mihi obseruationum pro amicitia nostra
copiam fecit liberaliter. Huic tertiae editio-
ni profuit Cl. ERNESTVS meus, praeser-
tim in Xenophonteis. Hinc igitur factum
est, vt quae in superiori editione vel peccata
fuerant, vel pro coniecturis nostris posita
(de qua re iam non amplius attinet dicere)
ea iam emendatius, certiusque proponantur.
Sunt tamen duo tria loca in quibus conie-
cturae nostrae locum aliquem reliquimus.
Qua in re non dissimulo, libertate me paullo
maiore in constituenda lectione usum esse,
quam sumturus mihi fueram, si integer aliquis
eorum scriptorum edendus fuisset, quorum
hic damus eclogas. Cum enim adolescentium
aetati consultum hic eatur, illud vnicum, certe
antiquissimum spectauit, vt intelligant etiam
non nimis acri ingenio praediti, aut longo vsu
firmati, quidquid propositum est: praesertim
cum metuendum non sit, ne qua inde labes
inferatur libris optimis, quos summa religione
tractandos ita censeo, vt magno opere eorum
displiceat audacia, qui ad emendandum,
utinam non plerumq; ad corrumpendum! pro-
uolant, cum primum aliquid non intelligunt,
intellecturi facilius, nisi ad legendum adferrent
morbum animi satis illum grauem, qui facit,
vt corrupta omnia & suae opis indigentia illis

videantur: medico non dissimiles, si quis ita infaniret, uti sanos homines non clystere tantum iniecto, aut vena pertusa, aut prouocato sudore vel vomitu, macerare, verum etiam dentes iis euellere solidos, quin membris integris mutilare inuitos & clamantes conetur; aut Procrusti de fabula latroni, longos homines truncanti, & breues tormentorum ope producenti, donec in lectum suum minime hospitem vtrique conuenirent. Quod versionem Latinam non adieci, illud iusto ut arbitror, consilio factum est. Ex quo enim tempore in schola vel discendi causa vel docendi versatus sum, animaduerti, pestem illam capitalem Graecarum literarum esse, quod Graecis libris fere talibus vtuntur adolescentuli, quibus Latina interpretatio adiuncta e regione est. Cum igitur interpretari iubentur aliquid, primo verba aliquot Graeca legunt, tum his subiiciunt Latina totidem circiter; qua in re tanto facilius non praeceptorum quidem, nisi is plane hebes sit, sed sibi fucum faciunt, a quo tempore Leusdenianae illae editiones Noui Test. Graeco-Latinae scholas inundarunt, verbum verbo reddentes si non Latino, at certe barbaro; vnde illud etiam quasi corollarii loco, damni accedit, ut sordes quaedam Latini sermonis tanto magis apud eos inoleant, & articuli praesertim praepositiui ratio, quoties ille non nominibus iungitur, ita obscuratur, ut frustra

habent hoc leu-
es. Hinc igitur ma-
pess. vtrorum, quam
libellae. libet illo
p. amore. bon
in nihil quodquam
nem etiam inuen-
lent, dixeris, deb-
tas. minus magis o-
teos, quos puppe-
alia quaequamque
exhibet, adieci-

* NOSES
Londini clo 130
no sicut, cum
sine huius praef-
discent hodie se
prouentur. Ex
vltis. Graecar
Latini nihil qd
Lexus intelligere
etiam quem legere
Prelatum sic acc-
miam em vultant
vna, ut magna c
corpore vni fuerit
fuit et.

frustra sint luculentissimae ea de re praeceptiones. Huic igitur malo non commodius occurri posse putabam, quam si in manus tradatur publi scholasticae liber illo ignorantiae propugnaculo (de honore bonarum interpretationum atque usu nihil quidquam detractum cupio) quod ga neum etiam iuuenum, qui Graece discere debent, dixeris, destitutus*. Ne tamen difficultas nimis magna obiici videatur, illis praeter caeteros, quos paupertas, bonae mentis soror, vel alia quaecunque causa, ab usu Lexici maioris excludit, adieci indicem ita copiosum, ita usu

** 3

faci-

* MOSES DV SOVL V. C. qui ad Plutarchi vitas Londini MDCCCXXVIII 5 voluminibus 4. studio Bryani editas, cum is operi immortalus esset, praefatus est, in fine huius praefationis, ubi de causis agit, cur pauci Graece discant hodie feliciter, etiam ponit morem *versorum ad latus ponendarum*. Et paulo post, *qui igitur, inquit, Graece discere velint, Graecas editiones veteres in manus sumant, in quibus Latini nihil est - - omnia per se, quantum possunt, ope Lexici intelligere nitantur: in margine Lexici (quin in ipso etiam quem legunt libro) quae molestiam creant adnotent. Perlectum sic accurate librum repetitis lectionibus sic sibi familiarem reddant, - - spondeoque paucis annis futurum, ut magna cum voluptate magnoque cum fructu quoscunque opus fuerit euoluere & intelligere libros Graecos possint &c.*

facilem, & ad hunc ipsum libellum accommo-
datum, vt apud illos, qui vel mediocrem adfe-
runt diligentiam, facile interpretationis vicem
sustinere possit. Qua in re tamen admonitos
velim, quicumque seuera lege proficere non de-
trectant, vt quam saepissime ad Scapulae Lexicon
recurrant, neque satis habeant, quid hic vnaquæ-
que vox sibi velit ex indice cognoscere, sed inte-
gras, vt ita dicam, familias a suo capite latissime
non nunquam diffusas ordine concinno re-
censitas intueantur. Cui consilio si quis fideliter
obtemperauerit, ei hunc ipsum libellum viam
muniturum confirmo ad Graeciam vniuersam
non magna cum difficultate peragranda: poe-
tas excipio, a quibus hic abstinui volens, ad
quos tamen ipsos non mediocre sibi subsidium
comparauerit, qui hanc sibi Chrestomathian fa-
miliarem reddiderit: in qua etiam ab omni no-
tarum longiorum syrmate abstinui volens, cum
id iam quidem agerem vnice, vti familiaritatem
aliquam cum Graecis ipsis iuuentuti propi-
narem. Sed viros etiam putarim reperire
hic, quod non ingratum ipsis sit, Demosthe-
nis encomium Lucianeum, transposita vna
pagina exempli eius, e quo nostra quae extant,
deriuata sunt omnia, misere olim luxatura

cor-

corruptum, & nunc, nisi egregie fallimur,
repositione curatum feliciter. Neque enim
dubitabamus illam emendationem publicae
etiam luci exponere, postquam non improba-
ri eam sensimus viris doctis, & idoneis harum
rerum arbitris, quibuscum per literas eam
communicauimus.* Verum utcunque caetera
fue-

* Nominari se non aegre feret vir veteri mihi amicitia
coniunctissimus, & carus summo merito suo literatis prope
omnibus, C. A. HEVMANNVS, V.S.R. qui iam anno
saeculi XXI *omni exceptione superiorem* iudicauit, & *dignam*,
cui acclametur verus illud feliciter. Neque irascetur vir &
ipse Celeberrimus CLI. HEMSTERHVIS, hic indicari,
ipsum literis post aliquando, sed eodem anno ad me datis
significasse, eadem sibi quae mihi de illa transpositione in
mentem venisse; neque sibi tantum, sed etiam MOST DV
SOVL V. C. qui olim in Luciano perpoliando elaborauerit.
Adiicere ista visum est, ne quis forte vel de nobis aliquid
suspicietur, vel de viro docto, qui nuper in Miscellaneis
Britannorum obseruationibus, paullo post priorem huius
libelli editionem eandem fere emendationem proposuit, nisi
quod vna praesertim in re diuersum a me sentit, quod suo
loco indicaui. Conferat, qui volet, Miscellanearum obser-
uationum, ut apud Belgas eduntur Vol. 2. To. 3. p. 368 sqq.
& iudicet, cui feliciter res successerit. A vanitatis quidem
& ieiuni cuiusdam plagii crimine me ipsa temporum ratio,

fuerint, illud quidem vehementer optamus,
vt ad studiosam iuuentutem porro fructus ali-
quis laboris nostri atque industriae perueniat;
quod tanto fiet facilius, si Xenophontea pri-
mum tractentur, cuius lacte & melle quasi
satulli confirmatiores deinde ad reliqua ve-
nient.

facile autographis laudatissimorum virorum confirmandas
reliquos viros doctos candor suus, pudorque, & reliqua de
bonis literis merita, absoluunt.

Ista adicere visum est Lips. a. d. 11 Dec.

G I O I O C C X X X I I I .



I. Ex



Ex HERO
Arion Solonis
dipnoma.
do

Ε
Τορωνα
λεγειν
παρα Περ
Ιταλων τε
χρηματα
παιδι
Ταραντες
Κορθιας
Κορθιας
Ιβαν τιν
Αρ

Ligne ex
GELLIV
bus motus
qualicumque